



& regnabit super nos Saluator mundi. Et auferet. **G**loria Patri. Et auferet.

**Deinceps Officium fit Duplex.**

**A D L A V D E S**

**& per Horas, Antiphona.**

**I**udaea & Ierusalem nolite timere: cras egrediemini, & Dominus erit vobiscum, alleluia. **Psalmus.** Dominus regnavit. **cum reliquis.** 12. **Antiphona.** Hodie sciētis quia veniet Dominus: & manē videbitis gloriā eius. **Antiphona.** Crastina die delēbitur iniquitas terrae: & regnabit super nos Saluator mundi. **Antiphona.** Dominus veniet, occurrere illi, dicentes: Magnum principium, & regni eius non erit finis: Deus, fortis, dominator, princeps pacis, alleluia. **Antiphona.** Crastina erit vobis salus, dicit Dominus Deus exercituum.

**Capitulum.** Rom. 1.

**P**aulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.

**Hymnus.**

**E**n clara vox redarguit  
Obscūra quæque, personans:

Procul fugentur somnia:

Ab alto Iesus promicat.

**M**ens iam resurgat torpida,

Non amplius iacens humi:

Sidus refulget iam nouum;

Vt tollat omne noxium.

**E**n Agnus ad nos mittitur

Laxare gratis debitum:

Omnes simul cum lacrymis

Precemur indulgentiam:

**V**t, cum secundo iusserit,

Metuque mundum cinxerit,

Non pro reatu puniat,

Sed nos pius tunc protegat.

**V**irtus, honor, laus, gloria

Deo Patri cum Filio,

Sancto simul Paraclito,

In saeculorum saecula. Amen.

**Y.** Crastina die delēbitur iniquitas terrae.

**R.** Et regnabit super nos Saluator mundi.

**Ad Benedictus, Antiphona.**

Orietur sicut sol Saluator mundi: & descendet in uterum Virginis, sicut imber super gramen, alleluia. **Oratio.**

**D**eus, qui nos redemptionis nostrae annua expectatione laetificas: praesta, vt Unigenitum tuum, quem Redemptorem laeti suscipimus, venientem quoque iudicem securi videamus, Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum viuit & regnat in vnitāte Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. **R.** Amen.

**Et dicitur per Horas diei.**

**Prima dicitur sicut in Duplicibus; & ad Absolutionem Capituli dicitur Capitulum Nonae.**

**Ad Tertiam, Antiphona.** Hodie sciētis. **Capitulum.** Paulus seruus.

**R. breue.** Hodie sciētis, \* Quia veniet Dominus. Hodie sciētis. **Y.** Et manē videbitis gloriā eius. **G**loria. Hodie. **Y.** Constantes estote. **R.** Videbitis auxilium Domini super vos.

**Ad Sextam, Antiphona.** Crastina die.

**Capitulum.** Rom. 1.

**Q**ui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.

**R. breue.** Crastina die, \* Delēbitur iniquitas terrae. Crastina die. **Y.** Et regnabit super nos Saluator mundi. Delēbitur iniquitas. **G**loria Patri. Crastina die. **Y.** Crastina erit vobis salus. **R.** Dicit Dominus Deus exercituum.

**Ad Nonam, Antiphona.** Crastina erit.

**Capitulum.** Rom. 1.

**P**er quem acceperunt gratiam, & Apostolatū ad obediendum fidei in omnibus Gētibus pro nomine eius, in quibus estis & vos vocati Iesu Christi Domini nostri.

**R. breue.** Crastina, \* Erit vobis salus. Crastina. **Y.** Dicit Dominus Deus exercituum. Erit vobis salus. **G**loria Patri. Crastina. **Y.** Crastina die delēbitur iniquitas terrae. **R.** Et regnabit super nos Saluator mundi.